I. M. S.

FRAGMENTUM

VITÆ

SANCTÆ CATHARINÆ ALEXANDRINENSIS

METRICUM

E LIBRO MS.

EDIDIT

JOHANNES PAULSON.

DIVENDIT HJALMAR MÖLLER,
BIBLIOPOLA UNIV. LUND.
LUNDÆ MDCCCXCI.

LUNDÆ MDCCCXCI.
TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

Hoc fragmentum vitæ Sanctæ Catharinæ Alexandrinensis quod inveni, debeo Petro Adolpho Geijer, professori Upsaliensi. Qui quum audisset paginam versam ultimi libri ms:ti folii fragmentum servare lingua gallica medii ævi conscriptum, id non modo legit ediditque, sed etiam totum librum diligentissime descripsit et, quæ contineret, exposuit [1]. Inter quæ fragmentum quoque affert latinum, cuius initium repetit; quod non, ut iudicanti ex initio facile videtur, ad annales romanos, sed ad vitam Sanctæ Catharinæ Alexandrinensis pertinet. Quod fragmentum quum adhuc, quantum e libris, qui mihi præsto fuerunt, eruere mihi licuit, ineditum sit, publici iuris facere studui.

Fragmentum eadem manu haud dubie totum scriptum est, quamvis aliæ fragmenti partes aliis litterarum ductibus uti videantur. Quæ litterarum dissimilitudo non maior mihi esse videtur, quam ut mutatis scriptoris instrumentis effecta esse possit. Hæc manus scilicet diversa est ab ea, quæ *Summam* illam *indicem*que (v. n. 1) scripsit [2], non autem fragmentum metricum nostrum

---

[1]) P. A. Geijer: Om ett af de i Upsala befintliga manuskripten från Vadstena klosterbibliotek. Upsala universitets årsskrift 1887. Maior libri pars, fol. 7--202 r., continet Petri Cantoris summam quæ dicitur Abel. Sex foliorum, quæ his præmittuntur, tria et quarti folii pagina recta initium indicis rerum ipsa libri summa contentarum exhibent.

[2]) Litterarum ductus, qui in fragmento illo gallica lingua conscripto obvii sunt, proxime ad Summam indicemque accedunt; suum tamen hoc fragmentum, ni fallor, habet librarium.

solum exaravit, sed etiam proverbia sententiasque, quæ et quarti folii pagina versa, pagina recta quinti folii, et pagina versa folii CC^mi^ exhibent [1]).

Geijer, p. 42, iure, ut puto, librum sæculo decimo tertio exaratum esse docet [2]). Apparet fragmentum nostrum non prius scribi potuisse quam *Summa* illa ad finem perducta esset. Ni fallor, circa annum fere MCCC scriptum est. Quum enim litterarum ductus, tum unciales formæ, quas interdum retinuerunt litteræ quædam (imprimis *m* et *n*) nos vetant credere fragmentum multo recentiori tempori tribuendum esse; neque autem multis ante illum annis scriptum esse credere licet, ratione habita frequentati compendiorum usus. Fragmentum a viro gallo exaratum esse apparet, si quidem iure posuimus id ab eadem manu, quæ gallica illa latinis sententiis intermixta annotaverit, scriptum esse, quum veri non sit simile gallica a viro non gallo annotata esse. Sequuntur hæc latina et gallica eodem, quo in libro utuntur, ordine; paragraphorum signa in libro exstant, numeros autem et paragraphorum et versuum, ut litteras quoque et latinas et græcas ante versus positas addidi:

Fol. IV v [3]). § I nich*il* subit*um* *et* su*m*mu*m*.
a id q*uod* fit subito scim*us* abire cito.
b *est* su*m*mo subit*um* se*mper* ut opposit*um*.
vel sic c a su*m*mo subit*um* distat ut opposit*um*.
d a su*m*mo distat subitu*m* solida n*eque* vi stat.

---

[1]) De hac re igitur a Geijero, p. 41, dissentio; qui veri simile ducit proverbia hæc sententiasque a variis scriptoribus annotata esse.

[2]) Ei sæculo librum tribuendum esse ostendunt vel numeri, quibus distinguuntur paginæ 1—275; quos haud dubie librarius ipse exaravit. Sunt enim eius generis, quo Sacrobosci, mathematici doctissimi (qui mortem obiit a. 1256), libri utuntur.

[3]) Hæc pagina unam tantum columnam præbet.

6 § II **tes se cuide veincher qui mauvesement se veinche**[1].
7 a ulcisci[2] queris te, minus ultus eris[3]. croit sa honte[1].
8 b ulcisci[2] quero me, graviora fero.
9 c sepe magis premeris, vindictam cum tibi queris.
10 d vis ulciscaris ut te; plus sepe gravaris.
11 *vel sic* e ultio maiorem[4] generat quandoque pudorem.
12 § III **provesom povrement poit.**
13 a absque angore pedit, quem paupertas male ledit.
14 § IV **sacius est mori quam pigrescere**[5].
15 a quam pigri morem mortem reputo meliorem.
16 § V **Qui penitet, semper doleat et se non doluisse doleat et se dolere gaudeat.**
17 a α penitet hic, vere debet sine fine dolere
18 β se deliquisse, doleat se non doluisse,
19 γ¹ gaudens pro veteri crimine mente teri.
20 *vel sic* γ² et modo letetur quod sub merore tenetur.
21 § VI **venter pinguis tenuem sensum non generat.**
22 a dat pingues sensus venter pinguedine tensus.

---

[1]) Verba, quæ sunt, mauvesement se veinche linea inducta sunt. Scilicet verba, quæ sequentem versum excipiunt, croit sa honte, quæ correctoris manu(?) addita sunt, loco deletorum inserenda sunt: qui (= cui) croit sa honte.

[2]) Ms. uscisci.

[3]) Ms. erit.

[4]) Inter maiorem et generat est s, puncto subiuncto.

[5]) Correctum ex his: sacius est pigrescere quam mori. Correxit idem qui § 2 correctoris munere functus est. Cfr n..

23 *vel sic* b venter pinguis habet quo mens similis sibi tabet [1]).

24 *vel sic* c ventris adeps mentem gravat et facit insipientem.

25 § VII **veritas non querit angulos.**

26 a angulus a veris ut queratur male queris.

27 [vel] *sic* b angulus a vero quod queratur male quero.

28 § VIII **iusticia tribuit unicuique quod suum est.**

29 a cuique suum tradit qui iuris tramite vadit.

30 *vel sic* b ut non confundat quemquam ius cuique suum dat.

31 § IX **tempora pretereunt more fluentis aque** [2]).

32 a α cursus ut est amnis est pretereuntibus [3]) annis [4]):

33 β sic que pretereunt tempora non redeunt.

1 Fol. V r¹ § X **de mal ne vient se mal non.**

2 a tantum proveniunt ab eis mala que male fiunt.

3 § XI **sompnus est quies animalium virtutum cum intensione naturalium.**

4 a α virtutes animales in sompno requiescunt,

5 β sed naturales sompni dulcedine crescunt [5]).

---

[1]) Supra tabet legitur consona. Qua voce inserta versus hanc sibi assumit formam: venter pinguis habet quo mens sibi consona tabet.

[2]) Ovid. Art. amat. III, 62:

Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.

[3]) Ms. preteriuntibus.

[4]) De amnis et annis vocibus eundem sonum referentibus, cfr § VIII b confundat et suum dat.

[5]) In spatio post versum vacuo relicto exstat: *vel* pinguedine (scil. pro dulcedine).

6 § XII libido *est* res vilis *et* humil*is* ex viliu*m* m*em*bror*um* appe |
7 titu p*ro*venie*n*s, feda exitu, c*uius* necesse *est* pudeat *vel* pen*it*eat.
8 a α res humil*is* vilis p*er* vilia m*em*b*r*a libido
9 β exit feda pudore dolorequ*e* plena cupido.
10 § XIII n*on* h*abe*t eve*ntus* sordida p*re*da bonos [1].
11 a q*ue* male q*ue*ru*ntur*, felicia raro sequ*untur*.
12 *vel sic* b q*ue* male p*r*edat*ur* aliquis, mala sors comitat*ur*.
13 § XIV felix q*ui* potuit rer*um* cognosc*ere* causas [2].
14 a si t*ibi* res note s*unt*, felice*m* reputo te.
15 § XV Om*n*ia mu*n*da mu*n*dis [3].
16 a α nil, si n*on* sordes, aliena nocet [4] t*ibi* sordes;
17 β *ergo* te mu*n*da, qui*a* mu*n*dis om*n*ia mu*n*da.
18 § XVI len fait a e*n*vix bien ceu de q*uo*i le*n* se |
19 aite trop.
20 a vix *consummatur* *bene* q*uod* nimis acc*eler*at*ur*.
21 § XVII veritas lib*er*at homine*m* [5].
22 a i*n*sistas veris *et* p*r*otin*us* expedieris.
23 *vel sic* b dic*er*e si q*ue*ris vera, solut*us* eris.
24 *vel sic* c q*ui* ver*um* q*ue*rit dic*er*e, lib*er* erit.
25 § XVIII q*ui* ver*um* dic*it* n*on* laborat.
26 a se paci subic*it* q*ui* n*on* m*en*dacia dic*it*.

---

[1] Ovid. Amor. I, X, 48.
[2] Vergilii Georg. II, 490.
[3] Pauli Ep. ad Tit. I, 15.
[4] Correctum e noces.
[5] Joh. evang. VIII, 32.

27 *vel sic* b dictores veri dec*et* absq*ue* labore ten*eri*.
28 *vel sic* c *cum* ver*um* loq*ue*ris, pacis *com*pendia q*ue*ris.
29 *vel sic* d dictu*m* veracis recip*it* sibi *com*moda pacis.
30 *vel sic* e α. q*uod* dicis, vere dicas; n*on* deb*et* habere
31 β verax atq*ue* bon*us* sermo laboris on*us*.
32 § XIX **ap*res* la plue vie*n*t li biaus.**
33 a *post* te*m*p*us* p(l)en*um* [1]) pluviis sol*et* esse seren*um*.
1 r[2] § [2]) XX **simil*is* *est* i*m*mu*n*d*us* sace*r*dos aq*ue* baptismatis,**
2 **q*ue* mu*n*dat baptizatos *et* p*ost*ea mittit*ur* i*n* cloaca*m*.**
3 a α. *est* sic*ut* mu*n*da lotis baptism*a*tis u*n*da.
4 β q*uam* loc*us* i*m*mu*n*dus recip*it*; sic *est* t*ibi* mu*n*d*us*
5 γ p*res*bit*er* i*m*pur*us* *et* i*n* i*n*fern*um* ruitur*us*.
6 § XXI **dign*us* *est* ope*r*ari*us* me*r*cede sua** [3]).
7 a si fuer*it* ta*n*ti. det*ur* m*er*ces op*er*anti.
8 § XXII **p*er* so*m*pn*um* fieri** [4]) **t*ur*pia sepe solent.**
9 a α. p*er* so*m*pn*um* fieri, q*ue* n*on* p*ossun*t retin*er*i
10 b *et* ben*e* n*on* redole*n*t, t*ur*pia sepe solent.
11 § XXIII **beati q*ui* audiu*n*t v*er*bu*m* dei *et* c*us*todiu*n*t illud** [5]).
12 a α. auditor v*er*bi divini iure beat*us*
13 β dicit*ur*, ill*ud* si sit *cus*todire parat*us*.

---

[1]) Ms. pen*um*.

[2]) Hoc paragraphi signum in libro omissum est.

[3]) Pauli Ep. I ad Tim. V, 18.

[4]) Inter fieri et t*ur*pia linea inducta sunt ri s.

[5]) Lucae evang. XI, 28.

14 *vel sic* b α audit sollicite q*ui* v*er*ba [1]) p*re*a*m*bula [2]) vite

15 β *et* cu*s*todier*it* illa, beat*us* erit.

16 § XXIV . . . . aa(n) ? q*u*a*n* fere l' estuet nus consois

17 valer n' i puet [3]).

18 a α cogim*ur* id fac*er*e q*uod* nemo potest p*ro*hib*er*e,

19 β co*n*silioq*ue* regi nesc*it* *vel* ced*er*e legi.

Fol. 202 [4]) v.

1 § XXV **paup*er*tas *est* bonu*m* odibile, utilitas s*i*ne detract*io*ne [5]), possess*io* s*i*ne calu*m*pnia [6]).**

2 a α *est* res exosa paup*er*tas, s*ed* p*re*ciosa,

β qua*m* nec li*n*ga [7]) fer*it* nec avara calu*m*pnia q*u*erit.

3 § XXVI **deus n*on* i*n*venit*ur* i*n* te*r*ra suaviter vive*n*ciu*m*.**

4 a est rep*er*ire grave d*omi*n*u*m, cui viv*er*e suave.

---

1) Ms. huic loco inserit dei, quod linea infra ducta semovet.

2) = præmonita.

3) . . . . aa(n) ? quant fere l' estuet,
nus consois valer n' i puet.

4) Hoc folium in libro præbet numerum 201. Sed qui folia numeris distinxit, unum inter fol. 50 et fol. 60 omisit (decimo enim cuique folio numerum imposuit), ut foliis post fol. 60 sequentibus numerus uno minor iusto inditus sit.

5) detractio = obtrectatio. Vide Du Cangii lex. s. v. detractio.

6) Verba quæ sunt utilitas usque ad calumpnia et totus v. β posterius haud dubie addidit ipsa prima manus. In dextra paginæ columna ita scripta sunt, ut contineant versus, quibus adiunguntur. His additis subiunguntur hæc:

paup*er*tas leta res *est et cetera*(?)

est on*er*is meta sibi paup*er*tas q*uasi*(?) leta.

7) De hac forma cfr Fragm. n. in v. 101.

5 *vel sic* b vix [1]) cui suavis erit vita. deu*m* rep*er*it.
6 *vel sic* c si suavis mollis t*ibi* vita, deu*m* tibi tollis.
7 § XXVII **panis *et* aq*ua* vita beata.**
8 a α cui cib*us* *est* panis *et* aq*ue*, no*n* vivit i*n*anis.
9 β *sed* vivit grate d*omi*no ta*n*de*m*q*ue* beate.
10 § XXVIII **aut brevis aut nullus sit so*m*pn*us* meridian*us*.**
11 a sit sopor ille brevis, q*uando* dormire die vis.
12 § XXIX **anima*m* pascit q*uod* paup*er*ib*us* erogat*ur*.**
13 a *est* i*n* me*n*te cib*us* res data paup*er*ib*us*.
14 § XXX ***contrar*ia *contrar*iis cura*n*t*ur*.**
15 a curas adv*er*sa dant adv*er*sis vice v*er*sa.
16 *vel sic* b i*n* morbis posita curo p*er* opposita.
17 § XXXI **de fol folie *et* de cuir corree [2]).**
18 a stulto stulticia fit cute corrigia [3]).
19 *vel sic* b α ut se*m*p*er* pu*n*get foliis paliur*us* acutis,
20 β stulta dabit stultus corrigia*m*q*ue* [4]) cutis.
21 § XXXII **nus ne seit q*ue* bie*n*s *est*, s'il n'a mal aprove [5]).**
22 a mel m*ihi* dulce par*um*, n*isi* c*um* precessit amaru*m*.
23 *vel sic* b se*m*p*er* inexp*er*t*us* mala no*n* *est*, q*ue* bona *cer*tus.
24 *vel sic* c is mala cui des*unt* nu*m*qua*m* nescit bona q*ue* s*unt*.

---

[1]) Ante vix est scriptum cui, sed linea nunc exterminatum.

[2]) Ita ms., haud dubie (Geijer, p. 42, corriee). Lexica, quod ego viderim, hanc vocis formam non agnoscunt; quid sibi velit, e latina voce corrigia, 31 a et bβ elucet.

[3]) Nescis an fuerit corricia.

[4]) Corr. ex corriciam(?). [5]) Ita ms.

25 § XXXIII **ibi n*on* sentit*ur* fetor, ubi nullus *est*, q*ui* n*on* feteat.**
26 a α nusq*uam* sentit*ur* fetor, si n*on* reperitur,
27 β q*uis* [1]) sentire q*ue*at hocq*ue* malo careat.
28 § XXXIV **bone iornee fait q*ui* de fol se delivre.**
29 a liberor i*n* leta de n*on* sapie*n*te dieta.
30 *vel sic* b vere su*m* let*us* a n*on* sapiente q*ui*etus.
31 § XXXV **co*n*tre nuit florisse(n)t cohordes.**
32 a dat iuxta more*m* sub nocte cuc*ur*bita flore*m*.
33 § XXXVI **trop achate q*ui* dema*n*de.**
34 a res nimis h*ec* emit*ur*, q*uando* p*ri*us petit*ur*.

Hæc quum haud dubie a viro gallo libro inserta sint, ita fulciunt Geijeri sententiam, librum a gallo librario exaratum esse, ut saltem ostendant eum recens scriptum in manibus viri galli fuisse. Præterea mea quidem sententia hæc non de alio libro exscripta sunt; mihi enim videntur esse exercitationes scriptoris, qui sententias ex variis scriptoribus petitas (e Scriptura Sacra, Vergilio, Ovidio, aliis) versibus imprimis leoninis reddere conatus est. Longe enim maior, ut vidimus, versuum pars leonini sunt, et *hexametri* quidem hi:

§ I d, § II c, d, e, § III a, § IV a, § V a α, β, γ², § VI a, b, c, § VII a, b, § VIII a, b, § X a, § XIII a, b, § XIV a, § XV a α, β, § XVI a, § XVII a, § XVIII a, b, c, d, § XIX a, § XX a α, β, γ, § XXI a, § XXIV a α, β, § XXV a α, β, § XXVI a, c, § XXVII a α, β, § XXVIII a, XXX a, § XXXII a, b, c, § XXXIV a, b, § XXXV a;

pentametri autem qui vocantur:

---

[1]) Ita Ms.

§ I a. b. c. § II a. b. § V a. γ[1]. § XVII b. c. § XXVI b. XXIV a. § XXX b. § XXXI a. § XXXVI a; *disticha* ex hexametro et pentametro leoninis composita nobis obvia sunt § IX a α. β. § XVIII c. α. β, § XXII a α. β. § XXIII b. α. β. § XXXIII a α. β.

Clausulæ hexametrorum similiter cadentes nobis occurrunt § XII a α: . . libido, β: . . cupido; § XXIII a α: . . beatus, β: . . paratus; eodem modo distichi versus similiter cadunt § XXXI b, α: . . acutis, β: . . cutis. § XI a α. β ita compositi sunt, ut et priores versuum partes in binas syllabas similiter cadentes exeant:

virtutes animales . .
sed naturales . .[2]

et versuum clausulæ in binis syllabis consonent:

. . in sompno requiescunt
. . sompni dulcedine crescunt.

Ut hæc, ita aliæ quoque annotationes ostendunt librum recens scriptum viri galli fuisse. Fol. VI v. nescio an eadem manus, quæ proverbia supra annotata fragmentumque vitæ metricum exaravit, hæc scripserit:

i*n* festo *sanct*i batol*i*[3]) debui antissiodori (sic!) d*e* minutis debitis | serrario VIII *solidos* et dim*idium* p*ro* calce III *solidos* gilebe*r*to II *solidos* | clavis[4]) IX . . .[5]) excepto debito tegularii *et* debito p*ro* roba luscardi.

---

[1]) Hic pentameter leoninus duobus hexametris leoninis subiungitur.

[2]) Scilicet in α nobis obvia est cæsura media, in β semiquinaria.

[3]) Haud dubie idem, cui nomen est Basolus. Erat eremita Campaniensis, gallus. Mortuus est a. 520, die nov. 26. Vide Mas Latrie, Tresor de Chronologie, p. 687.

[4]) E voce quæ est clava (clavus), genus quoddam ponderis? In fine prioris versus exstant cl. sed expuncta.

[5]) Siglum, quod in hac lacuna est, solvere non possum.

Aliis locis altera manus, quantæ sibi deberentur pecuniæ, annotavit. Quam manum viri galli fuisse e monetæ genere, cuius fit mentio. emergit. Ea enim pagina, quæ in libro notata est numero 194 (= fol. a libri initio 104 v.), in ima margine præbet hæc:

manasserius de singorio(?) [1]) X *solidos* thur*onenses* m*ihi* deb*et*
Tehiot*us* de p*et*uteio [1]) deb*et* m*ihi* V:q*ue* *solidos* thuron*enses*
a die p*ar*aceue [2]) nu*nc* t??nis [3]) acta
mag*iste*r odo de petuteio [1]) XXII *solidos* thur*onenses* m*ihi* d*ebet* [4]
Barthol*us* de rycero(?) [1]) XXV *solidos* thur*onenses*.

Fol. 202 v. in dextra columna media eadem, ni fallor, manus annotavit hæc:

isti tres tene*ntur* [5]) m*ihi*
joh*annes* nepos m*eus* i*n* . . . . . . *solidis* p*ar*isien*sibus*
manasses i*n* VIII: o p*ar*isien*sibus*
bartholome*us* de rycero(?) i*n* IV s*olidis* sil . . . . . p*ar*isien*sibus*

Hæc addo annotata, quæ exstant p. 271:

in cruce palma simul, cedrus, cypressus, oliva:
datq*ue* pedem cedrus, trunc*um* [6]) cypressus, oliva
dat tituli tab*u*lam, brachia palma duo.

---

[1]) Qui loci respiciantur, nescio.

[2]) De paraceue pro parasceue cfr Fragm. v. 42 celeri pro sceleri.

[3]) t*er*nis(?) pro ter?

[4]) Odo videtur suum debitum postea numerasse. Versus enim linea inductus est.

[5]) teneri in pecunia = debere pecuniam.

[6]) Pr. m., ni fallor, trumcu*m*.

p. 275: Ara crucis tumuli*que* . . radix [1]) lapidis est(?)
syndonis officiu*m* candida byssus h*abet*

Quæ autem nobis occurrunt medio folio VI v., pagg. 206 et 207 in summa margine, p. 270 in summa marg. adhuc oculorum acies, qua ego utor, partim tantum discernere potuit.

Ni fallor, ostendunt correctiones, quæ adhibitæ sunt, fragmentum nostrum ipsius poetæ autographum esse. Sunt enim hæ correctiones magnam partem eius generis, quas non facile librario attribuamus; ut exemplum omnium instar afferam, velim consideres v. 527 bis incudi redditum esse, ut tertiam demum, quam nactus esset, formam retineret [2]). Cfr p. 23, n. 2. Neque aliter in novam formam mutatus est v. 415, priore forma deleta. A quarum correctionum genere non abhorrent, quas in his versibus obvias: 31, 54, 57, 64, 105, 149, 160, 165, 174, 185, 206, 236, 284, 288, 311, 312, 347, 388, 398, 475, 480, 487, 502, 512, 513, 515, 596, 615, in notis singulis paginis subiunctis annotatas habes. Ut has correctiones librario corrigenti quæ minus diligenter de exemplo suo descripsit prorsus non tribuere licet, ita aliæ quoque res poetam ipsum librarii munere functum esse nobis persuadent. Quod ita fingo, ut credam versificatorem primum concepisse et scripsisse fragmentum, tum de suo exemplari descripsisse, sed describentem multa, quæ diligentius inquirenti displicerent, corre-

[1]) radix bis scriptum priore loco inductum est.

[2]) Prima versus forma fortasse non placuit, quod volentes respicit sing. num. concursus. Minus elucet, cur secunda versus forma auctori non satis fecerit.

xisse. Manuscriptum de exemplari quodam descriptum esse ostendere videtur *requirit* illud, quod claudens v. 285, quem vide, forsitan e proximi versus clausula petitum sit [1]. Videntur etiam in primo exemplo fuisse versus heptametri, qui poetam non admodum in versibus pangendis exercitatum facile effugerunt, vix autem eum emendate transscribentem ea quæ pariter concepta et litteris mandata erant fallere potuerunt. Qui quum in fragmentum nostrum irrepsissent, statim videntur emendatione elimati esse. Cuius rei exempla præbent vv. 160, 184?, 634. Neque abest versus pentameter dactylicus, 482, qui iustum ambitum numquam videtur nactus esse. Alter, qui eodem mendo forsitan laboraverit, adiutus est, v. 350, verbis *in se* insertis. Ceteræ, quæ nobis occurrunt correctiones [2], non obstant, quominus statuamus fragmentum autographum esse.

Quæ in vv. 123, 151—152 annotavi ostendunt fragmentum non prorsus carere recentiore correctore.

Fragmentum re vera esse passionem latinam Sanctæ Catharinæ virginis Alexandrinensis breviorem [3] numeris astrictam, verbis, non rebus auctam facile sibi persuadebit qui hanc passionem cum fragmento contenderit [4]. Ex hac breviore passionis forma,

---

[1]) Fortasse tamen hoc quoque loco invenis auctorem versum suum emendantem.

[2]) 32, 43, 79, 83, 89, 109, 125, 153, 173, 176, 182, 202, 244, 252?, 267, 270?, 280, 297, 298, 303, 320, 333?, 354, 369, 389, 403, 413, 425?, 442, 472, 477, 483, 501, 503, 543, 581, 582, 593, 595, 597.

[3]) Hanc passionem novissime edidit Hermann Knust: Geschichte der Legenden der h. Katharina von Alexandrien und der h. Maria Aegyptiaca nebst unedirten Texten. Halle a. S. 1890. Breviorem passionem medio ævo pervulgatam fuisse e Knustii libro apparet.

[4]) Hanc rem attigi in commentatiuncula, quæ Actis theologicis ab Ahnfelto editis (Tidskrift för Teologi. Lund 1891, I, 1) inserta est: Legenden om den heliga Katarina af Alexandria.

quam secutum est fragmentum, repetenda est ratio, cur a tali exordio initium capiat, ut facile quædam fragmento nostro præmissa fuisse credas. Præterea minor pars legendæ versibus reddita est. Knust legendam dedit pp. 231—314 ita, ut inter partes brevioris passionis litteris obliquis expressa legantur, quæ addita ampliorem efficiunt legendæ formam. Hexametri nostri 642 eam tantum partem, quæ p. 260 v. 2 *cui rhetor*] præmissa est, reddunt. Scilicet diiudicari non potest, utrum metrica hæc passio continuata umquam fuerit necne. Ego quidem, quum credere liceat fragmentum illud lingua gallica medii ævi conscriptum, quod exstat fol. V, v., posterius quam passionis fragmentum metricum exaratum esse, adducor ut ultimam paginam fragmento gallico vacuam relictam esse credam, quum versificator non ad finem propositum perduceret. Si iure mihi pæne persuasi initium, non totam prorsæ orationis passionem versibus hexametris politam esse, scilicet ex hac vita metrica repetiti esse non possunt versus, quos affert Antoninus, archiepiscopus Florentinus (1389—1459), de sancta Catharina virgine Jacobum de Voragine secutus in Chronicis suis agens:

Carcere clausa manet, lux cælica fusa refulget,
Fragat odor, dulces cantant cæli agmina laudes,
Sponsus amat sponsam, salvator visitat illam [1].

Versus qui apud Jacobum de Voragine exstant:

Nec te collaudes nec te culpaveris ipse,
Quod faciunt stulti, quos gloria vexat inanis

inter disticha Catonis inveniuntur, II, 16. Neque Græsse neque qui ante eum Legendam auream edidit observasse videtur hæc verba versus efficere.

---

[1]) Knust, p. 84. Observare licet 642 illos de Catharina hexametros ne unum quidem elisionis exemplum præbere eius generis, quod exhibent verba: cæli agmina.

Fragmenti nostri alphabetum caret dipthongis *ae* et *oe*, quorum loco adhibetur *e* (rome, terre: pena, ceptum): pro *y* scribitur *i* (cinicus, martirium, phisica, presbiter, tirannus). (Annotata, quæ p. XI, XII dedi, passim *y* præbent).

De singulis litteris hæc fere sunt observanda:

a: equip*er*ari scripsi, non equip*ar*ari v. 53. Lexicis utramque formam agnoscentibus, illam dubius elegi; linea enim illa transversa supra litteras ducta, quæ et *er* et *ar* reddit, longe quidem plurimis locis *er* significat (trecentis fere in fragmento nostro), ter autem litteris *ar* reddidi: rep*ar*ata 137, p*ar*ata 575, p*ar*ati 583 [1]). Forsitan æquip*er*are non meliore iure scribatur quam si quis rep*er*atus, p*er*atus pro iis, quæ vera sunt, exaret.

c sæpe scribitur pro *t* ante *i*, vocali sequente: forcior 13, forcia 498, etc. Non raro nihil fere interest inter harum litterarum ductus, ut difficillimum sit diiudicatu, utrum *t* an *c* legendum sit. *c* quidem longe frequentius (tricies bis in libro mspto) quam *t* (decies septies) adhibetur [2]). His locis videtur *t* retentum esse, quod *i* vocalis, eam consonam excipiens, nota scriberetur: dubitat*io* 411, solut*io* 412, presumpt*io* 553; rat*io* 560, rat*ion*is 205, r*ation*is 290, rat*ione* 268, 277, 295, 447, 610, r*atione* 294, 392. gr*acia* dedi 476, 502, quum g*ra*cia exstet 548, gracia 595. Neque aliter ubique dedi sap*ienc*ia: 402, 439, 458, 501, 588, 592, 599, quemadmodum in fragmento exstant presencia potencia sciencia. Vocibus que sunt consolatio 539 (consolacio 463), devotio 488, perfectio 495, solidatio 518, hæsitans *t* dedi [3]). sentio exstat 597, senciat 241, 350.

---

[1]) P. XI alia exempla exstant.

[2]) In proverb. passim.

[3]) In perfectionis voce nescio an *c* præmissum prohibuerit, quominus *t* in *c* abiret.

In proverb. exstat ultio § IIe, detract*ione* § XXV.

c in vocibus græcis coreas 199, caracter 259 scribitur pro *ch*. (Cfr sepulcrum 618). At semper scribitur nichil, nichilo etc. (elenchos 195).

f pro *ph* exaratum invenies in voce, quæ est profete 327; *ph* servarunt phisica 527, sophista 642, sophistica 196.

de *g* pro *gu* in quingaginta et pro *gu* in linga, vide p. 18, n. 4.; prov. § XXVaβ.

h littera præter linguæ latinæ consuetudinem exaratur in hensum v. 6 (at ense 47, 631), hornat 103, 422; cohit pro coit exstat 526.

i quantitate producta *ii* scribitur in *diis* decies septies (vide indicem verborum), in *hii* 726, *hiis* 192, 194, 264, 343, 383, 519 [1]).

i consonans e voce quæ est plebeus excidit (40, 93).

k semel nobis occurrit in sanctæ virginis nomine: katerinam 407.

m: gramatice, non grammatice exstat 169.

n singulis locis ante *qu*: i*n*inquos 4, et ante x: manxencius 37 inseritur. Hoc loco erasum est.

p inter consonas quasdam interponitur, qua scilicet littera significatur efferendi modus; liber ms. hoc *p* præbet inter *m* et *s* in su*m*psi 632, su*m*psit 604; inter *m* et *t* in peremptum 614 (at pere*m*tum dedi 278, quum linea illa supra ducta vix *mp* repræsentet), presu*m*ptio 417, 553; frequentius inter *m* et *n* interpositam deprehendis litteram *p* more librorum medii ævi contra usum antiquitatis; alu*m*pna 127, conte*m*pnit 233, conte*m*pnat 399, conte*m*pnentes 485, conte*m*pni 626, da*m*pna 225 (da*m*pnat fuit 236), solle*m*pnia 377, te*m*pnentes 362 [2]). Cfr Kühneri Ausführl. lat. Gram. I p. 132, 1.

---

[1]) Proverb. § IXa exstat preteriuntibus (præterire) pro pretereuntibus.

[2]) a*m*nis vox sola prov. § IXa non accipit *p* inter *m* et *n* insertum. Qua in voce *mn* non eodem modo atque in damna

antiq*us* scripsi 23, cum siglum illud, quod *us* repræsentat, excipiat *q*.

r pro *l* scriptum est in sirere 630. De rhetoris voce etc. vide p. 8, n. 2.

s legimus pro *th* in arismeticis 174.

tt pro simplice *t* scriptum est 570 invittant. Pro eadem littera invenimus *th* in sathanas 23, sathane 52; rethoricos exstat 369.

Pro athleta exstat alleta 251. Mirum in modum litteras transpositas habes in pleblea 93 et iuvelines(?) 182. Conferenda est forma uscisci quæ exstat proverb. IIa. b (at ulciscaris IId).

Quod ad vocalium quantitates attinet, non raro ab antiquitatis usu recedit auctor, id quod non mirum est, cum multis seculis ante, quam scriptum est fragmentum nostrum, omne quod quondam fuit discrimen inter vocales longas et breves e latina lingua sublatum esset. Sequuntur exempla, quæ hoc nomine annotavi:

a contra antiquitatis usum breve est in clămare 342(?) (at longum in clāmore 120, clāmat 255, clāmet 486), făbulis 611 (fābula 616, 628), posteă 113, 379, 614 (ut pessimus quisque poeta, quum litteræ latinæ iam non procul ab interitu aberant), stăbis 465 (stā 240).

ăbicit, quod nobis occurrit v. 5, iam Iuvenalis agnoscit. v. 21 legimus sūbicit (proverb. autem XVIIIa exstat sŭbicit).

e productum voces græcæ, metro suadente, corripiunt: ecclĕsie 25, ecclĕsiis 4 (ut apud Ennodium et Fortunatum), ĕthicam 192, 573; caractĕre 259. Verbum latinum, quod est tĕtricant 295(?), sequitur adi. tĕtricus, quod apud Ovidium al. primam syllabam

aliis, prolata esse ostendit id, quod versuum leoninorum modo respondet ad clausulam *annis*. *p* interpositum in prov. exhibent so*m*pnus XI, XXVIII, so*m*pno XI, α, so*m*pni 3, so*m*pnum XXII, a, calu*m*pnia XXV a_1^{β}.,

corripit. patĕfit exstat 202, ut stupĕfit 367; Lucretius agnoscit et patĕfit (I, 177 etc; septies) et patēfiet VI, 999, patēfecit IV, 343. crĕdantur 191 conferendum est cum clămare 342. (crēdere quinquies iustam servat quantitatem).

rēligionis vox non quadrat in versum hexametrum dactylicum nisi prima syllaba producta; cuius productionis exempla omnes fere præbent poetæ epici permulta (quattuordecim inveniuntur apud Lucretium). Fragm. exhibet rēligio 361, rēligionis 127, 311, 351, 363 [1]).

famē productam vocalem ē retinuit 157.

i: sequentĭ 91 abl. casus fortasse lapsu calami *ĭ* pro *ĕ* præbet (Cfr v. 388 not. testantĭ?). Sic non gradiendĭ 191 (in clausula: gradiendĭ crĕdantur), ubi gradiendĭ est pro casu nominandi participii: gradientes, quam formam fugit auctor, ne syllaba positione longa secundam dactyli sedem occuparet.

iustĭnianus exstat 193, ut olim Corippus ipsis justiniani temporibus scripsit.

istīus 364, unīus 378, 419; istĭus autem 125, nullĭus 274.

mihī legimus 315 in semitern., 473 in semiquin., 547 in semisept., sibī 525 in semitern., 57, 165, 401 in semiquin., 405 in seminoven. mihĭ et tibĭ duodenis locis obvia sunt, sibĭ sedecim.

o finale breve est 1) in primo casu nominum III^{æ} declinationis a) metro cogente in his: consolaciŏ (-latiŏ) 453, 539, confusiŏ 481, devotiŏ 488, dubitatiŏ 411, occasiŏ 201, passiŏ 228, perfectiŏ 495, proporciŏ 175, presumptiŏ 417, 553, responsiŏ 249, 470, solidatiŏ 518, solutiŏ 412 [2]). (*o* productum servat metrica necessitas in his: condiciō 534, ratiō 560, regiō 40, religiō 361); b) nulla metrica necessitate

---

[1]) Prov. III exhibet pĕdit.

[2]) Proverb. IIe ultiŏ.

accedente: carŏ 241, 242, 245, 545 (carō 243), homŏ 635 (homō 602, 603), nemŏ 195 (nemō 500), virgŏ 144, 444, 449 (virgō 126, 264, 533, 585, 632); ordo 114, 117, origo 633 sunt in versus fine.
2) in prima pers. sing. præs. ind. a) metrica necessitate: sentiŏ 597, serviŏ 324, 600 (metro cogente ō servatum est in devoveō 324, videō 609)[1]); b) metro non cogente: cognoscŏ 600, nolŏ 316, petŏ 546, putŏ 72 (putō 377), sciŏ 274 (sciō 556), volŏ 268 (credō 267, curō 538[2]), dicō 20, 336, indicō 518).
3) in gerundii casu sexto: moriendŏ 71, 119, orandŏ 395, respondendŏ 469, sacrificandŏ 98, 116, tacendŏ 487, venerandŏ 232, veniendŏ 319, violandŏ 270 (at in bucolica cæsura crescendō 45, metuendō 454, in semiquin. disceptandō 438). Versuum clausulas efficiunt dissimulando 155, loquendo 423, sequendo 159, substituendo 33. Adde imperativi formam: favetŏ 221, 473.
Cum hac verbi forma (sexto gerundii casu) pro participio præs. temp. utatur fragm., forsitan sit gradiendŏ legendum 191. Cfr p. XVIII.
4) in his particulis: ergŏ 343, 357, 453 (ergō 454, 503, 506; in versus fine ergo 350); immŏ 53, 161, 312, 351 (immō 45, 154, 543; immo in fine 317, 496)[3]).
5) geŏmētria 179, sŏcratis 192. psalmōlogium, vox nova iunctura ficta *ō* ante *l* producit; quōt exstat 387. Correptionis exempla, quæ sub 1), 2), 3), 4), attuli, non ab antiquitatis poetis aliena esse ostendit Kühner, l. l. p. 66, 67.

ŭ corripit mŭsicam 177.

---

[1]) Proverb. reputŏ, IVa, XIVa.
[2]) querŏ IIb; curŏ XXXIb; fero IIb, quero VIIb in v. fine.
[3]) Proverb XIIIa rarŏ.

Alia est producendi consuetudo, cuius ratio in re metrica posita est. Constat enim in cæsura semiquinaria, quæ est versus cæsura principalis, sæpe brevem syllabam positione non productam collocari. Cuius productionis exempla iis, quæ nuper exposui, subiungere licet:

ăt: properāt 207, curāt 288, notāt 368, mandāt 391, debilitāt 419; sileāt 398 in priore versus forma ante vocalem init. positum fuit;

ĕn: tamēn 205; *ĕr:* brevitēr 636;

ĕt: latēt 257, reddēt 413, saperēt 608;

ĭs: hostīs 23, finīs 540; generīs 143, mentīs 184, solīs 190, dicentīs 327, carnīs 513; magīs 46, 134, 274, nimīs 394; (ulciscarīs IId, amnīs IXa, panīs XXVIIaα);

ĭt: convertīt 12, sentīt 14, 356, crescīt 44, emittīt 74, defuerīt 101, didicīt 169, patefīt 202, nequīt 347, dixīt 433, 579, accedīt 492, contulerīt 458, tangīt 625;

ŏr: inferiōr 372, maiōr 577;

ŭr: delectatūr 287; (predatūr XIIIb);

ŭs: (vultūs 185?), piūs 226, unūs 298, manūs 335, victūs 544, magnūs 572, christūs 634; muneribūs 67, 567, divitibūs 82; priūs 102, penitūs 159, 510; (impurus XXaγ, letūs XXXIVb).

Harum productionum exempla sunt quinquaginta; nullum non in consonam exit [1]).

Ut apud antiquitatis poetas, ita in fragmento nostro muta, accedente alterutra liquidarum *l* et *r*, debilem quam dicunt positionem efficit. *l* quidem liquida, præmissa brevi vocali, semel tantum mutæ adiungitur: dūplex 248. Frequentiora exempla et productionis et correptionis præbet *r* liquida mutæ addita.

---

[1]) Proverb. hæc præbent exempla in vocalem brevem desinentia: deliquisse Vaβ, facere XXIVaα, exosā XXVaα, gravē XXVIa, adversā XXXa, positā XXXb, stulticiā XXXIa.

Productionis exempla hæc sunt:

pr: sūpra 10, prōbris 615; *br:* tenēbras 319;

cr: sācra 83; verbi sācrificandi formæ metrica necessitate, ut assolet, producunt 58, 95 bis, 98, 99, 116, 213; (*gr:* flāgris 617; pīgri IVa);

tr: pātri 1, geomētria 179, lātria 352, ūtrum 563;

maior correptionis exemplorum copia exstat:

pr: prŏprium etc. 16, 27, 48, 137, apprŏpriet 151, rĕprimit 206, rĕprobabo 228, rĕprobandum 584;

fr: rĕfrenat 183;

cr: lăcrimas 488; lăcrimosa 208, 489, volŭcrem 100;

gr: intĕgra 245;

tr: pătris 458, pătronus etc. 13, 219, 449, 520, 578, tĕtricant 295, lătriam 352.

Quamvis magna horum exemplorum pars e metrica necessitate repetenda sit, inde tamen apparet antiquitatis usum scriptori cognitum fuisse, quod eandem syllabam modo producit, modo corripit, ut in v. 352: talibus impendi lătriam, quia lātria soli etc. Cfr pātri et pătris.

Quod ad nominum declinandorum rationem attinet, hæc fere satis erit afferre:

celum agnoscit plur. num. celos 621;

locus plur. num. et locos et loca habet; vide ind.

relatus gen. casu utitur relati semel, abl. relatu bis; vide ind. [1]).

de formis deis (bisyl.) et diis (monosyl.) vide ind.

Græca nomina omnino latina forma induit: ethicam 573, logicam phisicamque 572, musicam 177; cas. gen. gramatice 169; rhethorice 172; gen. autem casus logices 170 ad primum casum logice referendus est.

---

[1]) Abl. veteri exstat prov. V.

Verba ita flectit auctor, ut in III^a pers. plur. perf. ind. et formas quæ in -ērĕ: constituēre 145, docuēre 306 et in versus clausula 188, et quæ in -ērunt exeunt præbeat: ostendērunt 318.

E multis locis apparet poetam non satis dilucidis usum esse verbis, neque verborum coniungendorum leges, quas observat lingua latina, satis diligenter secutum esse. Quod in notis annotavi in vv. 269—279, in alios quoque fortasse versus annotandum fuit. Quod cum ita esset et mihi persuaserim ms:ptum autographum esse, omnino ab emendandi conatu iure, opinor, abstinui, cum non raro legendi ratio dubia esse videretur. Interdum oblitus est auctor sententias aliis sententiis ita subiectas esse, ut coniunctivo modo uti deberent, ut v. 17—19:

romanum sic tollit in ardua nomen
ut magis absenti **faveat** romana potestas,
rectoremque suum factis dictisque **fatetur**.

Interrogationes indirectæ, quæ vocantur, non raro modo indicativo utuntur, ut v. 231:

nonne vides, quantum tibi detra**hit** iste tirannus.

vv. 305—307 legimus:

quod **sit** tibi nomen,
quod genus, aut qui te quondam **docuere** magistri,
ignoro.

Temporum modorumque genuinam rationem non videtur satis tenere poeta, qui vv. 208—211 exhibet:

invenit hic quosdam lacrimosa voce gementes,
qui non audebant gemitus exponere causam
nec christi nomen manifesta voce fateri,
quamvis aspersi **fuerint** baptismatis unda.

Sed qui penitus in verborum coniungendorum rationem, qua utitur fragmentum, penetrare volet, indices fragmento subiectos adeat velim.

Quod ad rem metricam attinet, qua usum est fragmentum, scilicet eas, quod videam, leges servat, quas artis metricæ periti poetæ medii ævi adhibuerunt, ita tamen interdum intentas, ut propriæ eius iure dicantur esse. Ut initium a spondeorum frequentia capiam, observandum est cum epicos medii ævi poetas omnino quintum pedem spondeum evitare [1], tum fragmentum nostrum tanta cura in ea sede dactylo uti, ut ne unum quidem invenerim versum quinto pede spondeo usum. Quattuor autem priores pedes frequentiores quam dactylos exhibent spondeos. Subducta enim horum pedum ratione, e centenis pedibus quin-

[1]) Sanctorum vitæ metricæ, quas edidit Guilelmus Harster, Lipsiæ MDCCCLXXXVII, quattuor milia septingentos fere versus hexametros exhibent, quorum hi tantum quinto pede spondeo utuntur:
Vita Arnulfi, v. 591: Quæ cibus est et potus, aquam. Non *hæc argen*tum.
v. 606: Inter telluris quodam posito *inter*vallo
v. 1050: Martyris Arnulfi quod noverat *inter*ventu
Vita Luciæ, v. 544: Attamen illatis non est vox *inter*cepta.
Apparet in versuum clausulis, quæ sunt Vita Cassiani v. 179 „gressuque *süavis*“, v. 458 „ferre *süasit*“, v. 514 „illudque *süasit*“; Vita Arnulfi v. 46 „ferre *süeta*“, v. 180 „amplexandŏ, *süave*“ (de brevi exitu gerundii -dŏ vide p. XIX), v. 376 „atque *süavis*“, v. 546 „portare *süavem*“, v. 884 „lemboque *süetum*“, ultimam vocem amphibrachyn efficere. Eodem modo legitur vox, quæ est *suavis*, in interiore versus parte. Vita Agnetis v. 374: „Et bene velle suum constare *süasit* in ævum“; Vita Arnulfi, v. 358: „Ad restinguendum suppletque *süavis* utrosque“, at in Carmine de S. Quintino v. 118. Vita Arnulfi, v. 701, 841, Vita Luciæ v. 289 litterarum coniunctio *suād* unam syllabam efficit. Sed haud dubie vox, quæ est *Iesus*, in versu, qui exstat media fere pagina 116, amphibrevis efferenda est: „Qui meus est dominus, Christus salvator *Ĭe*sus“. Horum carminum auctores cum tam frequentem exhibeant diæresis usum, nescio an credere liceat Vita Arnulfi v. 606 legendum esse: ... *interü*allo, v. 1050: ... *interü*entu. Qui efferendi modus, ut ab antiquitatis usu abhorret, ita, ratione habita tmesis durissimæ, quæ exstat Vita Luciæ v. 551; „Dum *Dio* pellatur *Cletianus* ab omnibus extra“, veri similitudine non caret. In vita Gisleni v. 178 lego clausulam: ... „et Hainenses“, non „et Hainenses“.

quagenos quaternos spondeos, dactylos quadragenos senos fere præbere invenimus. Dactylis et spondeis ita inter se mixtis sedecim efficiuntur versuum formæ; quas ut facilius perlustrare possis, sequitur tabella, quæ, quot versus singulis formæ utantur, docet. Ut facilius fragmenti nostri rem metricam aliis carminibus conferres, addidi columnas exhibentes numeros, qui ad vitarum quarundam Sanctorum ab Harstero editarum rem me-

	Fragm. Catharinæ (642 v.)		Vita Verenæ (132 v.)	
	quot versus utantur	i. e. e centenis	quot versus utantur	i. e. centen
quinis dactylis	16	2,5	2	1.
spondeo in pede I,	22	3,4	2	1,
„ „ „ II,	17	2,6	2	1.
„ „ „ III,	34	5,3	10	7,
„ „ „ IV,	36	5,6	10	7,
spondeo in pedibus I, II,	33	5,1		
„ „ „ I, III,	39	6,1	5	3.
„ „ „ I, IV,	33	5,1	9	6.
„ „ „ II, III,	44	6,9	10	7.
„ „ „ II, IV,	50	7,8	8	6.
„ „ „ III, IV,	45	7,0	15	11.
„ „ „ I, II, III,	47	7,3	7	5.
„ „ „ I, II, IV,	53	8,3	5	3.
„ „ „ I, III, IV,	62	9,7	8	6.
„ „ „ II, III, IV,	60	9,3	26	19.
„ „ „ I, II, III, IV.	51	7,9	13	9.
	642	99,9.	132	100,1

[1]) Omitto enim 68 priores versus, qui elegiaco metro conscripti sunt.

[2]) Tres versus mancos omisi.

tricam pertinent. Neque a re alienum esse credidi horum medii ævi carminum rem metricam cum carminibus ipsa antiquitate edita conferre; quare in comparationem vocandos ex Aeneide Vergilii Pharsaliaque Lucani totidem, quot continet fragmentum nostrum, elegi versus. Aeneidis libri I vv. 1—745 (tribus mancis omissis), Lucani V libri vv. 1—642 contuli.

Vita Erasmi (445 [1]) v.)		Carmen de Lucia (640 v.)		Vergilii Aeneis I, 1—645 [2])		Lucani Phars. V, 1—642	
uot rsus ntur	i. e. e centenis	quot versus utantur	i. e. e centenis	quot versus utantur	i. e. e centenis	quot versus utantur	i. e. e centenis
5	1,1	24	3,7	6	1,0	6	1,0
9	2,0	12	1,9	12	1,9	13	2,0
10	2,2	44	6,9	26	4,0	21	3,3
22	4,9	41	6,4	23	3,6	25	3,9
34	7,6	29	4,5	48	7,7	43	6,7
5	1,1	14	2,2	15	2,3	20	3,1
19	4,3	17	2,7	24	3,7	22	3,4
24	5,4	37	5,8	36	5,6	45	7,0
32	7,2	44	6,9	32	5,0	32	5,0
33	7,4	83	13,0	67	10,4	103	16,0
64	14,4	69	10,8	92	14,4	74	11,5
15	3,3	25	3,9	18	2,8	9	1,4
24	5,4	41	6,4	46	7,2	55	8,6
51	11,2	39	6,1	65	10,1	45	7,0
60	13,5	95	14,8	87	13,6	106	16,5
38	8,5	26	4,1	44	6,9	22	3,4
445	99,5	640	100,1	641 [3])	100,2	641 [4])	99,8

[3]) Accedit unus versus, 617, qui in quinta sede spondeum ponit:

tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae.

[4]) Accedit unus versus, qui a quattuor dactylos incipiens in quinta sede spondeum ponit.

Scilicet hæ tabellæ ostendunt eodem fere modo in carminibus ex Harsteri libro petitis spondeis frequentari. Omissis enim quinto et sexto pede, ut paulo crebrior nobis occurrit spondeus in vitis Verenæ et Erasmi (quæ in centenis pedibus quinquagenos octonos spondeos, quadragenos binos dactylos collocant), ita paululo rariorem eum præbet carmen de Lucia (in quo centeni pedes quinquagenos ternos spondeos, quadragenos septenos dactylos exhibent). Neque hos numeros transgreditur aut Aeneis, quæ in centenis pedibus quinquagenos septenos spondeos exhibet, aut Pharsalia, quæ quinquagenos senos spondeos in centenos pedes distribuit.

Licet etiam ex tabellis nostris videre, quæ inter carmina in comparationem vocata intercedat ratio in adhibendis versibus, qui singulis aut pluribus utantur spondeis. Singulis enim spondeis utuntur

in fragm. vitæ Cathar.:	109	versus	= septeni deni e	centenis;
in vita Verenæ:	24	„	= undeni e	„ ;
in vita Erasmi:	75	„	= septeni deni e	„ ;
in carm. de Lucia:	126	„	= viceni e	„ ;

Aeneis prorsus cum fragmento congruit. Pharsalia paulo rariores versus huius formæ præbet. 102 = senos denos e centenis.

Binis autem spondeis utuntur

in fragm. vitæ Cathar.:	291	versus	= quadrageni quini e	centenis;
in vita Verenæ:	47	„	= triceni seni e	„ ;
in vita Erasmi:	177	„	= quadrageni e	„ ;
in carm. de Lucia:	264	„	= quadrageni singuli e	„ ;

Aeneis proxime ad carm. de Lucia accedit; huius enim generis versus præbet pars in comparationem vocata 236 = quadragenos singulos e centenis, Pharsalia, 276 versus, qui huc pertinent, exhibens = quadragenos senos e centenis, non longe abest a fragmento.

Ternos spondeos exhibent

in fragm. vitæ Cathar.:	222	versus	= triceni quini e	centenis;
in vita Verenæ:	46	„	= triceni quini e	„ ;

in vita Erasmi:	150 versus	= triceni quaterni	e centenis;
in carm. de Lucia:	200 „	= triceni singuli e	„ ;

Aeneis et Pharsalia eandem fere copiam horum versuum ostendunt: illa enim 216, hæc 215 versus ternis spondeis usos exhibet = tricenos quaternos e centenis. De versibus, qui quaternis utuntur spondeis, vide supra tabellam p. XXIV, XXV.

Maius inveniemus inter carmina collata discrimen, si, quibus in versuum sedibus imprimis placeant spondei, quæremus. Quæ res ita se habet, ut in prima versus sede nobis occurrat spondeus

in vita Cathar. in	340 vv.,	i. e. in LIII:nis vv.	e C:nis;
in vita Verenæ in	49 „ ,	i. e. in XXXVII: „ „	e „ ;
in vita Erasmi in	185 „ ,	i. e. in XLII: „ „	e „ ;
in carm. de Lucia in	211 „ ,	i. e. in XXXIII: „ „	e „ ;

horum igitur carminum fragmentum nostrum ceteris crebriores, carmen de Lucia, cui proxima est vita Verenæ, rariores in prima sede exhibet spondeos. In Aeneide 260 versus = quadrageni e centenis a spondeo initium capiunt, in Pharsalia 231 = triceni seni e centenis. Quod autem carmen in prima sede rarissime spondeis utitur, id in secunda cetera carmina frequentia spondeorum superat. In ea enim sede spondeo utuntur

in vita Cathar.:	355 versus,	i. e. LV:ni	e C:nis;
in vita Verenæ:	71 „ ,	i. e. LIV: „	e „ ;
in vita Erasmi:	217 „ ,	i. e. XLIX: „	e „ ;
in carm. de Lucia:	372 „ ,	i. e. LVIII: „	e „ ;

Hoc quoque nomine carmina ex antiquitate petita medium quendam locum inter extremos tenent. Aeneidis enim pars in hac versus sede ponit 335 spondeos, i. e. in quinquagenis binis versibus e centenis. Pharsalia 368, i. e. in quinquagenis septenis versibus e centenis.

Tertia sedes prioribus magis frequentat spondeos. Cuiusmodi pedes exhibent

in fragm. vitæ Cath.:	382 versus	=	sexageni fere e	centenis;
in vita Verenæ:	94 „	=	septuageni singuli e	„ ;
in vita Erasmi:	301 „	=	duodeseptuageni e	„ ;
in carm. de Lucia:	356 „	=	quinquageni seni e	„ ;

quod vita Verenæ tam in ea sede frequentatos ostendit spondeos, haud dubie coniungendum est cum alia re metrica, qua omnes versus suos cæsura semiquinaria distinguit. Cfr præf. Harsteri p. X. Hac parte Aeneis, qui 385 versibus spondeum in tertia sede exhibentibus utitur fere non recedit a fragm.; Pharsaliæ pars numeros exhibet 335 = quinquagenos binos e centenis; unde apparet hoc carmen præ ceteris raro in hac sede spondeo uti.

Quartæ sedi omnium maxime placent spondei. Quos nobis obvios præbet

in fragm. vitæ Cath.:	390 versus	=	sexageni singuli e	centenis;
in vita Verenæ:	94 „	=	septuageni singuli e	„ ;
in vita Erasm:	328 „	=	septuageni quaterni e	„ ;
in carm. de Lucia:	419 „	=	sexageni quini e	„ ;

Hoc nomine cetera, quæ excussi, carmina frequentia spondeorum superant Aeneis et Pharsalia. In hac enim sede Aeneis spondeo utitur in 485 versibus = in septuagenis senis e centenis, Pharsalia in 493 = in septuagenis septenis [1]).

Ab Aeneidis Pharsaliæque re metrica præ ceteris, quæ contuli, carminibus abhorrere videtur fragmentum, ut quod ceteris minus certis quibusdam versuum formis faveat. Aeneis et Pharsalia eas præcipue frequentant versuum formas quæ in II:da et IV:a, in III:a et IV:a, in II:a et III:a et IV:a sede spondeis utuntur; quorum versuum copia in Aeneide tricenos octonos, in Pharsalia quadragenos quinos e centenis complectitur versus. Aeneida fere sequuntur vita Ve-

---

[1]) Constat hexametrum græcum ita a latino discrepare, ut rarius in tertia quam in præmissis aut in excipiente quarta sede spondeum collocet. Cfr Stud. Hes. I, p. 6.

renæ et carmen de Lucia: in illa triceni septeni e centenis, in hoc triceni noveni versus his formis utuntur. Paulo rariores nobis occurrunt in Erasmi vita, quæ tricenas quinas centesimas versuum his formis instruit. Proximum, sed longo intervallo sequitur fragmentum nostrum, quod in vicenis quaternis centesimis his utitur figuris. Non igitur multum abest, quin hæ versuum figuræ duplo frequentiores sint in Pharsalia quam in fragmento nostro.

Ut de cæsuris paucis loquar, omnium usitatissima est ea, quam semiquinariam vocamus; quam nobis, si vocum, non sententiarum incisiones respicimus, exhibet fragmentum in 589 versibus, i. e. in nonagenis binis centesimis versuum. Qui versuum numerus sex quoque versus illos complectitur, in quibus coniunctio copulativa enclitica *que* semiquinariam excipit: 43, 130, 222, 530, 537, 583. Ut ante hanc particulam apud antiquos poetas epicos nulla est incisio [1]), ita fragmentum cæsuram observare vel inde apparet, quod *que* particula in libro ms. priori voci non encliticorum modo adiungitur [2]). 53 igitur tantum versus cæsuram semiq. omittunt: quorum versuum maior pars (= 35) trochaica tertii pedis cæsura distincti sunt, ceteri, uno excepto, v. 578, semiseptenaria cæsura utuntur; qui excipitur versus hic est:

v. 578 et lepidi sermonis causarumque patronus,

qui versus solus mediam præbet cæsuram, nulla aut præmissa aut subsequenti incisione debilitatam.

Sententiarum autem incisiones si respicimus, in quavis fere versus sede principalis cæsura poni potest; quæ sæpe interpungendi ratione augetur; omissa semiquinaria, quæ ut omnium maxime frequentatur, ita sæpissime interpungendi signa accipit, semiseptena-

[1]) Cfr quæ de encliticis græcæ linguæ cæsuram non excipientibus egi Stud. Hesiod. I. p. 13 sq.

[2]) In fragmento edito hanc particulam præmissæ voci adiunxi.

riam persæpe est principalis versus cæsura (in LXXV versibus, si numeris meis fidem habeo); semiternaria et bucolica non multo minus frequentantur: illa cum semiseptenaria sæpe, cum semiquinaria hæc coniuncta non rarius nobis obvia est. Ceteræ cæsuræ rariores nobis occurrunt; vera cæsura media iusto magis frequentata exstat his in versibus: 163, 179, 250, 303, 318, 358, 366, 544, 545, 572, 578. Antiquitatis poetæ longe maiore diligentia cæsuras medias evitabant, neque adeo, ut fragmentum nostrum, quamvis fere versus sedem interpungendi ratione distinguebant.

Quod ad verborum copiam coniunctionesque attinet, fragmentum imprimis de passione Sanctæ Catharinæ prosa oratione conscripta dependet. Quamquam in comparationem vocavi non paucos scriptores antiquitatis maxime recentioris, aut paucissima aut nulla vestigia imitationis inveni; quæ primo obtutu fragmenti auctor exemplaria antiquitatis et medii ævi secutus scripsisse videtur, maximam partem eius generis haud dubie sunt, quæ poetarum commune, ut dicimus, bonum fuisse iure credantur. Forsitan habuerit exempla medio ævo conscripta, quæ nobis non sunt cognita. Hæc quomodocumque se habent, vix credo me officium meum neglexisse, cum malui indicem verborum et locutionum quam locupletissimum dare, quo duce, quæ haberet, quæ non haberet fragm., facile perlustrares, quam paginas aliquot dubiæ imitationis exemplis confertas præbere.

Mihi quidem, qui non multus in ms:tis latinis medii ævi legendis versatus sum, lectu admodum difficile fuit fragmentum; quamquam non dubito, quin, si quis exercitatior huic fragmento legendo incubuisset, difficultates, meo usu maiores, superaturus fuerit. Vix

tamen licet dubitare de iis, quæ dedi: quæ me recte legisse eo magis mihi persuasi quod partem fragmenti cum meo exemplo contulit amicus meus, Laurentius Wåhlin, præfectus bibliothecæ Gothoburgensi; neque inter nos fuit dissensus, quid præberet ms [1]).

Versuum, qui in priore paginarum columna (r^1, v^1) scripti sunt, semper suam quisque lineam habet; qui autem in altera columna (r^2, v^2), quippe cuius spatium illius spatio minus sit, scripti exstant, non raro in binas lineas dividuntur, quod ita indicavi, ut vides ex. gr. v. 125, qui in libro sic scribitur:

istius urbis erat tunc temporis
incola quedam.

interdum tamen duo versus tres lineas occupant, quod indicavi ex. gr. vv. 126, 127, quorum habitus in libro hic est:

virgo cui nomen caterina
decora parata alumpna
et devota deo sic religionis

Quæ ab eo qui scripsit omissa esse videntur, parenthesis signo ( ) inclusa addidi; quæ autem e paginarum ora resecta esse credidi, cancellis his [ ] comprehensa dedi.

---

[1]) Imprimis eo adiuvante versus difficillimos 181—187, extricavi.

Scribebam Lundæ Mense Aprili MDCCCLXXXI.

Johannes Paulson.

Corrigenda:

p. 4, v. 89 *con*veniu*nt* lege *con*veniu*nt*
p. 5, v. 106 honore, lege honore.
p. 13, v. 286 req*ui*rit. lege req*ui*rit,
p. 18, v. 396 actet lege iactet
p. 20, v. 458 gloria [mundi] legendum fortasse est gloria, [verbum], collato Ausonio, Ephem. Orat. v. 81: Salvator, deus ac dominus, mens, gloria, verbum.
p. 24, v. 570 si*nt* lege si*nt*

hic constantino patri successit et eius F. I, r^1
imperium tenuit multis industrius annis;
transacto cuius decimo feliciter anno,
